



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Origines ac  
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,  
Belgium, aliasque orbis Christiani prouincias**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Capvt LXXX. VVengense S. Michaelis Monasterium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11321**

## CAPVT LXXIX.

VALDSEENSE MONASTERIVM  
*in Sueuia.*

1181.

**V**aldseensis præposituræ (quod est cœnobium in Sueuis & Dapiferorum VValburgensium ditioe, intra mœnia oppidi VValczensis, ad amplum lacum, vnde nomen & opido & cœnobio contigit situm) fundator fuit anno virginæ partus 1181. Sueuorum Princeps Fridericus II. qui huius sacræ ædis ac canonicæ congregationis, omnium prima fundamenta iecit; moxque ætatis suæ 31. anno, sub Innocentio tertio, Apostolici gregis pastore in Romanorum Regem confirmatus, deinde ab Honorio Papa in Imperatorem coronatus est.

## CAPVT LXXX.

## VVENGENSE S. MICHAELIS MONASTERIVM.

1183.

**S** Michaelis Archangeli VVengense cœnobium, ordinis & instituti regularium Canonicorum S. Augustini (quod nunc intra ipsa ciuitatis VVlmenis mœnia situm est) in monte vrbi vicino & hodie adhuc S. Michaelis titulo accolis noto, primùm cœpit anno Chrïsti 1183. indictione II. imperante Friderico Barbarossa, Romanæ verò cathedræ præsidente Pont. Max. Lucio III. ad Episcopatum

epatum autem Constantiensem & Abbatiam Augiensem sedente Diethelmo: fundatum verò & constructum est à nobili ac generoso viro *Vvittigogo* Comite de Albegkhe & eius coniuge domina *Bertha* in hoc ipso cœnobio quiescentibus, & sub honorifico tumulto humatis.

## CAPVT LXXXI.

CANTIPRATVM, AD MVROS  
*olim vrbis Cameracensis.*

**C**Antipratanum monasterium fundavit Rogerius XLIV. Episcopus Cameracensis anno circiter 1185. fuit autem hic Presul admodum amans instituti Canonorum Regularium; Ordin. S. Augustini, vt qui anno 1190. moriens, in regulari habitu voluerit sepeliri. Creditur ab eodem etiam conditum *Priniacum*, celebre Virginum monasterium, quod, vt & Cantipratanum, Victorinæ est congregationis. Fuit vtrumque hoc monasterium haud longè à muris vrbis Cameracensis situm. Hodie Cantipratani sodales domicilium habent, haud procul ab Hallis Hannoniæ oppido, Cantipratano scilicet monasterio per bella vastato.

Cæterum in pago isto Cantimprato vulgò Cantimprè, natus fuit, vt arbitror, Thomas Cantimpratani, ex ordine Prædicato-

M

rum,